

attestatione, quod eis presentibus scriptura illa a tali facta fit, aut proprii scribentis sigilli appositione. Ita Glossa in Auth. *At si contractus. v. Soli.* et Bartolus ibid. c. h. t. Menochius, cit. cas. 114. per totum, id probans inter alia per rationem n. præced. allatam. Mascardus d. concl. 330. n. 1. et 3. ac seqq. allegans alios. Qui tamen nonnullas hujus dicti limitationes afferunt, atque addunt, comparationem litterarum saltem semiplene probare, juxta Glossam fin. l. *In bonæ fidei. c. de Jurejurand.* Bartolum l. *Admonendi.* n. 26. ff. eod. Felinum cap. II. n. 14. h. t. et alios: vel saltem iudicis arbitrio esse relinquendum, quantam fidem mereatur ejusmodi litterarum comparatio; prout melius censet Menochius loc. cit. n. 6.

168. *Comparatio litterarum, qua forma, et quo ordine fieri debeat?* — Resp. III. Qua forma, et quo ordine, talis comparatio litterarum fieri debeat, tradit inter alios Menochius cit. cas. 114. n. 26. et seqq. dicens, quod si iudex nolit ipsemet facere comparationem (potest enim, si vult, ex suo arbitrio, juxta Baldum l. *Comparationes.* n. c. 17. h. t.) tunc ipse duos, nec pauciores, peritos artis scribendi eligere debeat: qui etiam, antequam ad comparationem litterarum deveniant, jurent quod eam facient non lucri causa, neque inimicitia, vel gratia tenti, juxta textum cit. l. *Comparationes.* § *Omnes.* Et tunc assumant alias scripturas ad faciendam ejusmodi comparationem, quæ sunt omnino certæ, et veræ illius qui asseritur scripsisse hanc contensiosam scripturam: et quod periti isti postea inspiciant singulas litteras, et elementorum verborumque tractus, signa, stylum, atque his similia: et tunc iudici, referant, quid egerint, atque judicaverint.

169. *Ea non habet locum, nisi ipsam petens juret, se non habere alias probationes.* — His adde, quod ille, qui petit comparationem litterarum fieri, prius jurare debeat, se non habere alias probationes, præter hanc comparationis litterarum probationem. Ita quippe habetur expressum in Auth. *de Instrument. cautel.* § *Si vero nihil.*, collat. 6. illis verbis: « Et ipse, qui hoc petit fieri, juret, quia non aliam idoneam habens fidem, ad collationem instrumentorum venit, nec quicquam circa eam egit, aut machinatus est, quod possit forte veritatem abscondere. » Ubi Glossa v. *Juret.* id ipsum confirmat ex l. *Comparationes.* § *Omnes autem.* c. h. t. ac notat Menochius

d. cas. 114. n. 34. citans insuper Salycetum in d. l. *Comparationes.* vers. *Oppono Sexto.*

§ VI.

DE FIDE SCRIPTURARUM PRIVATARUM, PRÆSERTIM RESPECTU SCRIBENTIS.

170. *Scriptura privata confessata, regulariter probat plene contra scribentem.* — Quæritur I. Utrum, et qualiter scriptura privata confessata probet tum contra scribentem, tum etiam contra tertium? Resp. I. Regula est, quod scriptura privata v. g. apocha confessata, plene probet contra scribentem. Patet hoc ex l. *Publia Mævia*, § fin. ff. *Deposit.* et l. *Vice donatricis. c. de Donation.* et l. *Generaliter. De non numerat. pecun.* Nam propria confessio, præsertim litteris comprehensa, est optima probatio, nisi forsitan aliis documentis, et probationibus quis probare possit erroneum et falsum esse, quod scripserat.

171. *Confessio facta in supplicatione principi porrecta plene probat.* — Hinc Jason in l. *Cum te transegisse.* n. 12. c. *de Transaction.* notanter inquit, quod confessio facta in supplicatione principi porrecta plene probet, etiam parte absente. Idque desumitur ex textu ibid. ubi proin Baldus in *Summario* inquit: « Non est minor probatio per confessionem, quam probatio per publicum instrumentum. » Hoc ipsum, seu quod scriptura privata agnita, seu confessata a parte, eadem vim habeat, ac si esset a publico notario confecta: tradit Covarruvias lib. II. *Variar. resol.* cap. XI. n. 4. post Bartolum l. *Admonendi.* n. 26. ff. *de Jurejurand.* Alexandrum consil. 191. n. 1. vol. II. et alios, id probans per jura proxime allegata, cum similibus.

172. *Alicubi scriptura privata confessata, v. g. de pecunia mutuo recepta, habet paratam executionem.* — Quinimo certis in locis scriptura privata, puta chirographum confessatum, in quo aliquis fatetur se recepisse mutuum pecuniam, habet paratam executionem: ita videlicet, ut sit iam per iudicem solutio injungatur debitori, neque is audiatur ante solutionem factam, quamvis velit aliquas exceptiones (altioris tamen indaginis, nec in continenti probabiles) contra creditorem proponere. Atque ita in Austria receptum esse asserit Ludov. Engel h. t. n. 26. citans Sutingerum in *Process. judiciar.* observat. 41,

et observat. 104, n. 2. Idemque in Hispaniis per constitutionem Madritianam concessum esse, refert Covarruvias cit. cap. XI. n. 4. quamvis ultro lateatur, spectato jure communi, istud non procedere.

173. *Disparitas inter confessionem extrajudicialem, et scripturam privatam.* — Nec obstat, quod confessio extrajudicialis oretenus facta plene non probet, l. *Certum.* § *Si quis absente.* ubi Bartolus, ff. *de Confessis*, estque uberius dictum tit. XVIII. *de Confessis*, § 2. n. 49. et 54. Resp. enim, disparitatem esse inter eam, et inter scripturam privatam: tum quia scriptura semper loquitur, arg. l. *Ariani. de Hæretic.* et notat Jason cit. l. *Cum te transegisse*, n. 12, c. *de Transact.* post Bartolum in l. *Nuda ratio.* ff. *de Notation.* et alios; adeoque censetur etiam loqui in presentia adversarii, vel iudicis, si ipsi exhibetur; tum quia cum majori liberatione, et cautela solemus aliquid scribere quam loqui, ideoque majorem vim habet confessio instrumentalis, seu per litteras, quam simpliciter et ex abrupto oretenus facta, arg. l. I. c. *de Usuris.* et l. *Sciendum.* ff. *de Verbor. obligat.*

174. *Scriptura privata confessata, non præjudicat tertio.* — Resp. II. Licet scriptura privata recognita, seu confessata, fidem faciat contra scribentem, ut dictum, nihilominus ea non præjudicat tertio: nisi id quantum talis scriptura potest de jure nocere cupiam tertio a die factæ illius recognitionis. Ita Abbas cap. II, n. 2. et Felinus ibid. n. 12, h. t.; Covarruvias cit. lib. II. *Variar. resol.* cap. XI. n. 4; Mascardus *de Probat.* concl. 109. n. 4. citans alios, addita illa ratione: quia alioquin foret in potestate creditoris, præjudicare tertio, quod est absurdum. Sic l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore*, etc. cavetur, quod scriptura privata cum causa, si de ipsa constet. v. g. per confessionem scribentis, vim habeat probationis contra ipsum: ita tamen, ut si quis jus pignoris, aut hypothecæ ex ea sibi vindicare contenderit, præferatur ille qui publico desuper confecto instrumento munus est, etiamsi sit posterior; nisi privata scriptura illa a trino teste subscripta fuerit, sicque quasi publice confecta censeatur. Nec immerito ita statutum fuit: quia alioquin posset debitor ad libitum fraudare priores creditores jure pignoris, aut hypothecæ, constituendo per litteras suas, sub dato priore conscriptas; alium anteriorem; prout argumentatur Abbas loc. cit.

175. *Scriptura privata probat tamen contra scribentem, ejusque hæredem. Hæres censetur eadem persona cum defuncto.* — Additur notanter in conclusione, « nisi in quantum talis scriptura potest de jure nocere cupiam tertio, » etc. Nam imprimis scriptura privata recognita plene probat non solum contra scribentem, sed etiam contra ejus hæredem: atque in hoc sensu potest nocere tertio. Mascardus *de Probat.* concl. 1301. n. 2. citans alios. Nec immerito: nam hæres censetur esse eadem persona cum defuncto, Auth. *de Jurejurando.* § 1. collat. 5.

176. *Scriptura privata probat etiam contra alios successores ac tertios, qui habent causam ab eo scribente. Dummodo recognitio scripturæ suæ facta sit ante cessionem.* — Deinde scriptura privata recognita probat etiam contra alios successores, sive universales, sive particulares, ac tertios, qui habent causam ab eo scribente. Sigism. Scaccia lib. II. *de Judiciis.* cap. XI. n. 80. post Baldum consil. 26. n. 1. lib. IV. et alibi Cravetta cit. tom. XVII. *Tractatum.* tract. *de Antiquit. tempor.* § *Viso de verbis annuntiativis.* n. 2. et 15 et 16; Mascardus c. concl. 1301, n. 2. cum aliis. Quamquam Cravetta eod. n. 16. et post ipsum Scaccia loc. cit. dictum illud, quod scriptura privata fidem faciat etiam contra tertium, habentem causam a recognoscente, nonnihil limitent, dum id procedere assentunt, dummodo recognitio illa scripturæ suæ facta sit ante cessionem; secus, si postea. Quia tunc jam urgeret ratio n. 174. allata, ne videlicet possit quis alteri ad libitum inferre præjudicium contra illud lumine naturali notum: « Non debet aliquis alterius odio prægravari, » ut loquitur reg. 22. juris in 6. cum similibus.

177. *Recognitio propriæ scripturæ non trahitur retro ad tempus factæ scripturæ, nisi contra recognoscentem.* — Hinc Covarruvias d. lib. II. *Var. resol.* cap. XI. n. 4. notat, quod hujusmodi recognitio propriæ scripturæ non trahatur retro ad tempus factæ illius scripturæ, nisi contra recognoscentem: non vero contra tertium, habentem medio tempore hypothecam: siquidem iste habebit privilegia prioris, et potioris creditoris; prout notatur in l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore*, etc. juncto textu ibid. Atque ob hoc in conclusione notanter etiam additum fuit ly « A die factæ illius recognitionis. »

178. *Scriptura privata in antiquis inducit semiplenam probationem contra tertium.* —

Uterius scriptura privata cujuspiam, cæteroquin fide digni in antiquis semiplenam inducit probationem contra tertium, contra quem ejusmodi scriptura indicitur: dummodo non negetur, vel saltem aliunde constet quod sit scriptura illius qui dicitur eam scripsisse. Cravetta cit. tract. *de Antiquitat. tempor.* § *Viso de verbis enuntiativis.* n. 2. et 3; Jason l. *Cum aliquis.* n. 5. et 6. c. *de Jure deliberand.* Mascardus cit. concl. 1301. n. 1. allegans alios. Siquidem in antiquis admittuntur leviores probationes propter difficultatem probandi. c. *Cum causam.* 13. *de Probat.* juncta Glossa ibid. cum similibus.

179. *Scriptura privata, an in omni prorsus casu plene probet contra scribentem.* — Quæritur II. Utrum scriptura privata in omni prorsus casu plene probet contra scribentem? Resp. Negative: nam quædam dantur: limitationes hujus regulæ; adeo, ut etiam impræsentiarum locum habeat illud vulgatum: « Nulla regula sine exceptione. » Idque ostenditur inductione, adducendo tales fallentias, seu limitationes ipsius.

180. *Regula illa fallit in scriptura privata, v. g. cautione, quæ continet debitum, sed non causam debiti.* — Et primo quidem regula illa fallit in privata scriptura, puta cautione seu chirographo, quæ continet quidem debitum, sed non exprimit causam debiti: nam si debitor postea negaverit, se revera debere id quod in tali scriptura continetur, allegando quod cautio ejusmodi indebite exposita, seu data fuerit, nulla inde actio, seu obligatio oritur in foro externo, tum ecclesiastico, tum civili: sed oportet, ut actor aliunde probet illud ex tali, vel tali causa vere debitum fuisse quod in cautione, seu scriptura illa privata continetur. Ita communis tum canonicistarum, tum legistarum; atque habetur expressum l. *Cum de indebito.* § fin. ff. *de Probat.* et c. *Si cautio.* 14. h. t. utpote quod cum citata lege concordat; sicque loquitur: « Si cautio, quam a te indebite proponis expositum, indeterminate loquatur, adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea. »

181. *Secus, si in ea exprimat causa debiti: quia tunc plene probat.* — Secus dicendum, quando in instrumento, seu scriptura privata, puta, cautione confessata, exprimitur causa debiti, v. g. quod quis debeat Titio centum vi mutui, vel ratione rei emptæ: quia tunc in judicio standum est tali suæ confessioni, et cautio illa plene probat con-

tra scribentem, isque veluti debitor condemnatur, nisi forsan legitime probet indebitum. Textus est in cit. l. *Cum de indebito.* § fin. ff. *de Probat.* et c. *Si cautio.* 14. h. t. in quo posteriori loco, post verba n. præced. relata, ita sequitur: « Sed si causam, propter quam hujusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem, confessioni tuæ statur, nisi probaveris te id indebite promississe. » Hæc ibi. Concordant dicta superius tit. 18. *de Confessis.* § 2. n. 37. et 49. et seqq. ubi hoc ipsum de confessione extrajudiciali, præsentè adversario, cum vel sine adjectione causæ facta, plenius declaratur.

182. *Fallit ulterius quando intra biennium per debitorem opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ.* — Secundo fallit data regula, quando per debitorem opponitur « exceptio non numeratæ pecuniæ. » Nam si quis in apocha, seu chirographo privato fateatur se accepisse pecuniam ab altero sibi mutuam, quam revera non recepit (prout non raro hujusmodi apochæ solent dari, vel mitti ante receptionem pecuniæ, quam quis petit mutuam), tunc competit ipsi certum juris beneficium, quod appellatur « exceptio non numeratæ pecuniæ. » Hanc quippe exceptionem si debitor scriptus intra biennium a die dati chirographi opposuerit, tunc onus probandi numerationem pecuniæ factam esse, in adversarium transfert. l. *In contractibus.* et tot. cit. c. *De non numerata pecunia,* estque communis doctorum.

183. *Aut exceptio non numeratæ dotis.* — In dote similiter constitutum est, ut marito intra biennium concedatur exceptio non numeratæ dotis, cit. l. *In contractibus.* § fin. c. eod. ibi: « Quæ etiam in exceptione non numeratæ dotis locum habere certum est. »

184. *Creditores etiam, si citius dent quietantiam, quam receperint pecuniam, possunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, sed intra triginta dies tantum. Et cur creditoribus minus tempus concedatur ad opponendam dictam exceptionem, quam debitoribus?* — Quod si etiam creditores citius dent apocham seu quietantiam quam receperint solutionem debiti etiam ipsi possunt opponere exceptionem non numeratæ pecuniæ, sed intra triginta dies tantum post dictæ quietantiæ expositionem computandos, cit. l. *In contractibus.* § *Super.* c. eod. Ratio disparitatis, cur his minus tempus, nempe triginta dierum solummodo, debitoribus vero totum biennium a jure concedatur, recte ab Engel h. t.

n. 28. assignatur: quia videlicet debitor, si velit habere pecuniam mutuam, debet ad petitionem creditoris prius dare chirographum, ne alioquin mutuum negetur. Creditor vero non solum non cogitur ad reddendum ante receptam solutionem chirographum, sed etiam debitorem solvere recusantem, potest per media judicialia compellere ad solvendum. Unde magis videbatur succurrendum debitori, qui citius dedit chirographum, quam creditori.

185. *Confessio qualificata, quod scriptura privata fuerit manu sua scripta jocose solum, an præjudicet confitenti.* — Remissive. — Possel hoc loco etiam quæri, an confessio qualificata, quod scriptura privata fuerit manu sua scripta jocose solum, sive calami experiundi gratia præjudicet confitenti? Verum de hoc jam dictum est supra tit. 18. *De confessis.* § 5. ubi ex professo actum fuit de confessione qualificata; ac præsertim n. 128. et seqq. ubi talis casus refertur, atque uberius declaratur.

186. *Scripturæ privatæ regulariter non probant in commodum scribentium.* — Quæritur V. An aliquando scripturæ privatæ probant in commodum scribentium, l. *Exemplo.* c. *de Probat.* et l. ult. c. *de Convenciend. Fisci debitorib.* lib. X. ac tradit Glossa communiter recepta in cap. II. v. *Authentica.* h. t. ubi ponit differentiam inter instrumenta publica et privata, quod illa nitantur perpetua firmitate ad damnum et commodum utriusque partis: privata vero valeant quidem in præjudicium scribentium, l. *Publia Mævia.* § fin. ff. *Deposit.*; ad commodum vero eorum minime, cit. l. *Exemplo.* et l. *Rationes.* c. *de Probat.* estque jam dictum supra n. 138. et seqq. et n. 170. et alibi.

187. *Fallit hoc, quando scriptura cæteroquin privata est subscripta a partibus, et tribus testibus, qui adhuc vivunt, ipsumque recognoscunt.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus scriptura privata plene probat pro scribente, seu in commodum ejus. Ita communis; et patet inductione. Sic imprimis scriptura cæteroquin privata plene probat pro scribente, quando est subscripta a partibus, simulque a tribus testibus: nam si testes adhuc vivant, et recognoscant scripturam, insurgit plena probatio; cap. II. h. t. argumenta a sensu contrario desumpto; ac tradit Abbas ibid. n. 5. Bartolus l. *Scripturas.* § fin. c. *Qui potiores in pignore,* etc. juncto textu ibid. dum tibi talis scriptura,

« quasi publicæ contacta » intelligitur. Pax Jordanus tom. III. tit. *de Fide instrument.* n. 22; Engel h. t. n. 22. et alii.

188. *Et quid, si testes jam fuerunt mortui? Paria sunt totum scribere vel tantum subscribere.* — Quod si vero scriptura illa est subscripta a partibus tantum, tunc mota de super controversia facit quidem magnam præsumptionem pro scribente, seu pro altera parte subscribente; non tamen plene probat in commodum ejus contra tertium sine augmento testium, arg. cit. l. *Scripturas.* c. *Qui potiores in pignore,* etc. ac notat Bartolus ibid.; Abbas loc. cit. n. 2; Pax Jordanus num. 20.

189. *Et quid, si testes jam fuerunt mortui? Paria sunt, totum scribere, vel tantum subscribere?* — Additur notanter contra tertium. Quia contra alteram partem simul subscribentem, ejusque hæredem, bene probabit scriptura illa; dummodo non negetur subscriptio, sed sit recognita, vel aliter justificata. Mascardus *de Probation.* concl. 1301. n. 2. post Speculatorem, tit. *de Instrument. edition.* § *Nunc dicendum.* n. 7. Bartolum Auth. *At si contractus.* c. h. t. et alios. Nam quod scriptura privata recognita, et confessata, etiam sine aliis adminiculis plene probet contra scribentem (et consequenter in commodum alterius partis, simul ipsam subscribentis) jam supra n. 170. cum communi dictum est. Atqui paria sunt, totum scribere, vel tantum subscribere, l. *Si quis ex argentariis.* § *Cogentur.* juncta Glossa marg. ff. *de Edendo.* et § 1. *Instit. de Emption. et vendit.* ibi: « Instrumenta conscripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta: » et tradit Pax Jordanus loc. cit. n. 23. post Gabriel. *de Præsumption.* concl. 3.

190. *Scriptura privata plene probat pro scribente, quando aliunde est authentizata.* — Deinde scriptura privata plene probat pro scribente, quando aliunde est authentizata: ut puta, quia est asservata in archivio publico; vel quia est munita sigillo authentico curiæ, seu majoris magistratus; aut quia ex longi temporis observantia censetur authentica, et hujusmodi: prout uberius dictum est supra § 5. n. 146. et seqq.

191. *Scriptura privata plene probat de consensu, seu conventionem partium.* — Tertio, scriptura privata potest plenam fidem facere de consensu, seu conventionem partium. Jason in *Repetit.* l. *Admonend.* n. 101. ff. *de Jure*

jurand. citans alios. Ratio est, quia, quod scripturæ privatæ non credatur in commodum scribentis, principaliter est introductum favore partium, seu partis adversæ; ergo huic favori possunt partes renuntiare: c. *Si diligenti.* 12. de *Foro compet.* cum similibus: non minus, ac renuntiare possunt juramento testium, c. *Tuis questionibus.* 39. juncta Glossa fin. de *Testib.*

192. *Scriptura privata probat quando fuit producta, et contra eam pars adversa nihil opposuit.* — Unde Alexander consil. 185. in fin. lib. VI. et Mascardus de *Probat.* concl. 1301. n. 18. citans Jacob. de Aretio, Hostiensem, Butrium, et alios, notanter infert, quod quælibet scriptura privata probet, habeatque effectum instrumenti, quando fuit producta, et contra eam pars adversa omnino nihil opposuit: quia tunc ab hac censetur scriptura illa approbata, et continere veritatem. Quod tamen procedit duntaxat, quando pars adversa omnino nihil contra ejusmodi scripturam opponit; videlicet nec expresse, puta verbis; nec etiam tacite, seu facto ipso: nam secus foret, si quid opponeret facto ipso, puta, petendo se absolvi a petitis partis, arg. l. *Paulus respondit, non tantum verbis.* ff. *Rem ratam haberi*; ac notat Mascardus d. n. 18. et Cravetta cit. tract. de *Antiquit. tempor.* part. I. § *Viso de verbis.* n. 23. et seqq. allegans alios.

193. *Epistola acceptata, et retenta, absque eo quod quis ei expresse contradicat, probat contra acceptantem pro scribente.* — Quarto, Epistola per illum, cui scribitur, accepta, et retenta absque eo, quod ei expresse contradicat, probat contra illum pro scribente: ita ut hoc ipso debitum, vel obligationem in tali epistola expressam fateri censeatur, quod hanc recipiens non contradixerit, cum potuerit. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 142. ff. de *Jurejurand.* post Bartolum, Baldum pluresque alios. Idem tenet Alexander consil. 78. n. 1. lib. I; Engel h. t.; n. 31. Idque probatur ex Clem. I. de *Procurat.* et l. *Si filiusfamilias absente.* ff. *Ad S. C. Macedonian.* Ubi Summarium sic habet: « Ratione conventionis, qui epistolam recipit, videtur approbare, quod in epistola continetur. » Ubi Glossa v. *Contrariæ voluntatis*, inde notat, aliusque allegatis Juribus firmat, quod « qui non improbat, probat. »

§ VII.

DE LIBRIS RATIONUM, FIDEQUE IPSORUM; NEC NON DE SCULPTURIS ANTIQUIS.

194. *Libri rationum, qui et a quibus confici soleant?* — Quæritur I. Quæ fides debeatur libris rationum? Ubi prænotandum, quod per « Libros rationum » intelligantur illi, quos quis de datis, et acceptis sibi conficit, ut jam dictum supra § 5. n. 135. Et tales libri rationum sunt frequentes, ac usitati, præsertim inter mercatores, tutores, curatores, ac alios rerum alienarum gestores seu administratores. Atque horum aliqui eos conficiunt ratione sui officii; ut olim nummularii, l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. de *Edendo.* item exactor tributorum, ac thesaurarius, l. *Illatæ.* c. de *Fide instrum.* Alii vero libros tales conscribunt ratione suæ administrationis, ut tutores, curatores, aliique rerum alienarum administratores, l. I. § *Officio.* ff. de *Tutel. et rationib. distrahend.* Quidam vero pro sua voluntate et arbitrio, prout res postulat, aut expedire videtur, privatim sibi tales libros rationum conficiunt: ut mercatores, ac hujusmodi. Quo prænotato:

195. *Regulariter non probant plene pro scribente, bene tamen contra ipsum.* — Resp. I. Libri rationum regulariter pro scribente plene non probant, bene tamen contra ipsum, seu in ejus præjudicium. Ita Glossa in Clem. un. § *Cæterum.* v. *Rationum.* de *Usuris.* et alia Glossa l. *Quædam.* § *Nummularios.* v. *Decernitur.* ff. de *Edend.*; Abbas cap. II. n. 8. et 9. h. t.; Bartolus in l. *Nuda ratio.* n. 7. ff. de *Donation.*; Mascardus de *Probat.* concl. 977. n. 1. allegans alios, cum communi. Siquidem tales scripturæ revera sunt privatæ; sicque urgent jura, et rationes, § præced. n. 170 et 186. allatæ, exemplo quippe perniciosum est quod sub propriæ scripturæ annotatione quis alium sibi debitorem constituere valeat, l. *Exemplo.* c. de *Probat.* cum similibus. Et si libris rationum in favorem scribentium passim foret credendum, de facili præberetur ansa delinquendi. Accedit, quod instrumenta quoque notariorum, haud obstante quod eorum fides de publico approbata sit, non probent in favorem ipsius scribentis, l. *Divus Claudius.* ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis.*

196. *Nec probant pro hærede scribentis; etiamsi succedat fiscus, aut Ecclesia.* — Atque istud ampliatur, ut liber rationum privati,

§ VII. DE LIBRIS RATIONUM, FIDEQUE IPSORUM, ETC.

non solum non probet pro scribente, sed nec etiam pro hærede ipsius; quamvis illi succedat fiscus, aut Ecclesia l. *Inter chartular.* c. de *Conveniend. fisci debitorib.* lib. X. Ubi proin Bartolus in Summario sic loquitur: « Scriptura privata non facit fidem pro scribente, vel ejus hærede, etiamsi fiscus sibi successerit. » Nam, ut inquit Imperator ibidem, « Iniquum esse perspeximus, ut sub propria annotationis manu unusquisque sibi faciat creditorem, » cum concordantiis.

197. *Feneratores, cur cogantur edere libros rationum suarum?* — Nec obstat, quod in Clem. un. § *Cæterum de Usuris,* feneratores in causis usurarum cogantur edere libros rationum suarum; idque frustra fieret, si libri illi rationum nihil probarent. Resp. enim, istud neutiquam obstare: quia ibidem solummodo compelluntur feneratores ad exhibendum codices suarum rationum, et quidem sub censuris ecclesiasticis, ut hoc modo possit deprehendi pravitas usuraria ipsorum, quæ ut plurimum solet occulte committi; non autem ut libri illi eidem suffragentur. Unde Glossa ibid. v. *Cæterum,* notanter infert, ac pluribus aliis juribus allegatis firmat, quod illis feneratorum rationibus stetur contra eos, pro eis non.

198. *Liber rationum probat contra scribentem, etiamsi sit scriptus manu alterius de sua voluntate.* — Ampliatur quoque altera pars datæ conclusionis, ut liber rationum probet contra scribentem, non solum quando est scriptus sua manu, sed etiam quando est scriptus manu alterius de sua voluntate: quia adhuc plene probat contra scribentem, arg. l. *Vice donatricis.* c. de *Donation.* ubi paria esse censentur, per se subscribere, vel alium subscribere vice ipsius; Jason in *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 112. ff. de *Jurejurand.* Mascardus concl. 978. n. 5. citans alios; atque n. 16. et seqq. istud cum aliis intelligens, quando liber ille rationum continet causam debiti, vel saltem adsunt quædam conjecturæ de causa debiti: alias secus.

199. *Et quid, si principalis neget, talem librum rationum manu alterius de sua voluntate esse scriptum?* — Nec juvat, si principalis, v. g. mercator, neget talem librum rationum manu alterius de sua voluntate conscriptum fuisse. Non juvat, inquam: quia cum mercator ille talem librum retineat ut suum eoque utatur tanquam suo, quidquid reperitur in illo scriptum, præsumitur scriptum vel manu sua, vel alio de ejus consensu, nisi con-

trarium evidenter probetur. Jason cit. n. 112; Mascardus d. concl. 178. n. 9. citans alios. Alexander consil. 245. n. 1. et seqq. lib. VI. asserens, quod libro creditoris etiam privato, in quo continetur solutio debiti, detur plena fides contra ipsum creatorem, l. *Quædam* § *Nummularios,* juncta Glossa ff. de *Edend.*

200. *Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus liber rationum probat pro scribente.* — Resp. II. Dantur nihilominus aliqui casus, in quibus data conclusio, seu regula fallit, atque liber rationum probat pro scribente, aut in commodum suorum hæredum. Ita Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 125. et seqq. ff. de *Jurejurand.*; Mascardus d. concl. 97. n. 3. et seqq. Cravetta *Tractatum,* tom. 17. tract. de *Antiquit. tempor.* § *Vidimus et abunde.* n. 2. ac seqq.; et alii. Idque probatur inductione.

201. *Istud fieri potest publica lege sic disponente: ut antiquitus probarunt libri argentariorum, et nummulariorum.* — Et primo quidem id fieri potest publica lege sic disponente: prout antiquitus libris argentariorum, et nummulariorum, qui publica auctoritate assumebantur, et in susceptione sui officii juramentum de fidelitate præstabant, plena fides adhibebatur; juxta textum expressum l. *Quædam.* § *Nummularios.* ff. de *Edendo,* ibi: « Quia nummularii, sicut argentarii rationes conficiunt: quia et accipiunt pecuniam, et erogant per partes, quarum probatio scriptura, codicibusque eorum maxime comprobatur, » etc. Verum hodie (inquit Glossa ibid. v. *Decurritur.*) eorum scripturæ sunt privatæ, ac proinde ipsis non est credendum pro se, sed contra se. Concordat Mascardus loc. cit. n. 88. et seqq.

202. *Istud fieri potest consuetudine, vel statuto speciali: prout alicubi probant libri mercatorum.* — Secundo, consuetudine, vel statuto speciali fieri potest quod libris rationum, v. g. mercatorum, plena fides detur pro scribente, arg. cit. § *Nummularios.* et c. *Cum dilectus.* 8. et cap. ult. de *Consuetud.* cum similibus. Cravetta, ubi supra. n. 1. Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi.* n. 120. ff. de *Jurejurand.* allegans Paulum de Castro ibid. col. penult. Baldum, et Alexandrum in d. l. *Quædam.* § *Nummularios.* cum aliis. Et addit Jason ibidem, Florentiæ talem esse consuetudinem inter mercatores, quod eorum libris stetur, etiam pro se: quia maxima pœna imponitur eis, si aliquod falsum in libro committerent. Similiter Bononiæ est statutum, quod liber mercatorum plene probet pro mercatore: et